Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26045
Copyright: Admont, Benediktinerstift

167

audisse nec tamen intellexisse quod dixi. quantum ad strepitum pertinet eius sum ex ore meo. sic et ille particeps factus est qui non intellexit quomodo et vos. eum sonum audivit. eaedem syllabae aures eius percusserunt. sed in corde ipsius nichil genuerunt. Quare? Quia non intellexit. Vos autem si intellexistis. unde intellexistis? Ego ad aurem sonui. numquid ego in corde lumen accendi? Procul dubio si verum est quod dixi. et hoc verum non solum audistis. verum etiam intellexistis. duae res ibi factae sunt. discernite illas. auditus et intellectus. Auditus per me factus est. intellectus per quem? Ego autem dixi ut audiretis. ad cor vestrum quis dixit ut intelligeretis? Sine dubio aliquis et ad cor vestrum aliquid dixit. ut non solum strepitus iste verborum percuteret aurem vestram. sed etiam in cor vestrum aliquid descenderet veritatis. Dixit aliquis et ad cor vestrum. sed non eum videtis. Si intellexistis fratres. dictum est et cordi vestro. Munus dei est intelligentia. Quis hoc dixit in corde vestro. si intellexistis? Cui dicit psalmus. da mihi intellectum ut discam mandata tua. Verbi gratia. episcopus locutus est. Quid locutus est? ait illi quis. Respondis quid locutus sit. et addis. Verum dixit. Tunc alius qui non intellexit. quid dixit inquit. aut quid est quod laudas? Ambo me audierunt. ambobus ego dixi. sed unum eorum deus docuit. Si parva magnis comparare conceditur. quoniam nos ad eum quid sumus? tamen nescio quid incorporaliter et spiritaliter facit in nobis deus. quod nec sonus est qui aurem percutiat. nec color qui oculis discernatur. nec odor est qui naribus capiatur. nec sapor qui faucibus iudicetur. nec durum et molle quod tangendo sentiatur. et tamen aliquid est quod sentire facile est. explicare impossibile est. Si ergo deus ut dicere coeperam loquitur in cordibus vestris sine sono. quomodo loquitur filio suo? Sic ergo et fratres sic cogitate quantum potestis ut dixi. si licet parva magnis modo aliquo comparare. sic cogitate. Incorporaliter pater locutus est filio. quia incorporaliter pater genuit filium. nec eum sic docuit quasi indoctum genuerit. sed hoc est eum docuisse quod est scientem genuisse. et hoc est docuit me pater. quod est scientem me genuit pater. Si enim quod pauci intelligunt simplex est natura veritatis. hoc est filio esse quod nosse. Ab illo ergo habet ut noverit. a quo habet ut sit. non ut prius ab illo esset et ab illo postea nosset. sed quemadmodum illi gignendo dedit ut esset. sic gignendo dedit ut nosset. quia simplici ut dictum est naturae veritatis esse et nosse non est aliud atque aliud.